

71  
I N C I P I T L I B E R  
S C A L A P H I L O S O P H O -  
r u m d i c t u s .



**V**T dicit venerabilis Raymundus Lulij: Intentio naturæ ad faciendum nostrum magisterium est, quòd Lapis diuidendus est in quatuor elementa, vt quodlibet per se, secundùm exigentiam naturæ possit purificari. Et illa est præparatio rerum quæ præcedit operationem perfectæ præparationis, & propriè dicitur Separatio elementorum, quoniam illa diuidit omnes partes impuras à partibus puris, vt cum leuioribus & purioribus fiat successiuè cum naturali coniunctione nostra perfecta præparatio, quæ fit per reductionem humidum cum sicco, statim & immediatè præparatorum, per beneficium separationis elementorum, aliter humidum non amaret siccum, nec corpus spiritum, si primò non esset bene ab eorum infectionibus lauata cum distillationibus & calcinationibus, solutionibus & coagulationibus. Nam per separationem elementorum crematur falsatura suæ sulphureitatis comburentis, quæ veniebat ei per maculam originalem nostri menstrualis, quod est corruptio nostri lapidis. Idcirco terra corporum calcinatur post extractionem æris, vt à sulphureitatibus falsis, & combustionibus sit optimè depurata. Ergo constat, quòd si tunc materia corruptibilis non esset posita per corruptionem lapidis, nunquam oporteret eam purgari.

Et cum sic necesse est, vt post corruptionem lapidis compositum depuretur ipsius lapidis ab omnibus suis sordibus, post separationem illius per quatuor elementa cum distillatione & calcinatione, antequam Mercurius coniungatur cum corpore ad incipiendam realem præparationem, quæ est creatio nostri lapidis.

Ideò necesse est, quòd lapis diuidatur per quatuor elementa cum distillatione & calcinatione. Et ista diuisio est solummodo, vt substantia lapidis sit fortiter munda, & quòd totum sit purus Mercurius, qui portat